

AD
ORATIONES
T R E S

D. XI. IAN.

cI cI cI cc XXXXVIII

IN

GYMNASIO HALLENSI

AUDIENDAS

PATRONOS, SCHOLARCHAS

AC

LITTERATOS OMNIVM ORDINVM

V I R O S

INVITAT

DE

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ ROMANORVM

PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER

GYMNASII HALL. RECTOR.

HALLAE SALICAE

TYPIS IOANNIS ERIDERICI GRVNERTI



§. I.

Quem ad modum sapientiae et iustitiae fama tantam nominis celebritatatem consecutus est **SOLON**, ut ab ultima Scythia ANACHARSIS a) atque TOXARIS b) ad eum videndum audiendum que Athenas commigrarint: ita post mortem ob singularia, quibus non ciues modo suos, sed genus omne humanum sibi deuinxit, merita tum Athenis, tum Salamine statuis positis honoratus est. De Atheniensis quidem testes habemus PAVSANIAM c), AELIANVM d) et DEMOSTHENEM e): quorum ille: 'Ανδριάντες δὲ χαλκοὶ κενταὶ περὸ μὲν τῆς σοᾶς, Σόλων ὁ τοὺς νόμους Ἀθηναῖς γράψας, κ. τ. λ. iste: Οὐ δέν Σόλων ὀλίγον ὑσερού ὑπέργυρως ἦν, τὸν Εἰον ἐτελέντησεν, ἐπὶ σοφίᾳ καὶ αὐτρείᾳ μεγάλην ἀπολιπών δόξαν. καὶ αἰτέστησαν αὐτῷ χαλκῆν εἰκόνα εἰ τῇ ἀγορᾷ: hic Atheniensis refert τὸν γράψαντα τοὺς νόμους Σόλωνα ψήφισαθεν χαλκοῦν εἰ τῇ ἀγορᾷ εῆσαν'. De Salamina vero præter alios testatur LAERTIUS f): qui simili epigramma imagini eius inscriptum exhibit his verbis:

Η Μήδων ἄδικον πάντασ' ὑβριν, ἡδε Σόλωνα

Τόδε τεκνοὶ Σαλαμῖνις Θετυθέτην ιερὸν.

Quæ indicio sunt, quam præclare de institutis ac legibus **SOLONIS** iudicari gracia: quando quidem effigies hominum non solebant exprimi, nisi aliqua illustri causa perpetuitatem merentium g).

§. II.

Quamvis inclitas **SOLONIS** leges acceperint romani: summa tamen animorum et corporum contentione τῇ σωσταχθείᾳ (quæ, vt LAERTIUS exponit h), λύτρωσις σωμάτων τε καὶ κτημάτων erat) constanter repugnabant. At sicut summæ atque ineuitabili necessitatib[us] publicæ eam dederat **SOLON**: ita in maximo discriminine et periculo romanæ rei publicæ ad illud tandem subsidium patribus quoque deueniendum fuisse, euentus docuit. Quippe graviore morbi acriora postulant remedia.

§. III.

Nempe in magno ære alieno verfabatur romana plebes: et fortissimi ciues, quibus foris cum hoste dimicandum erat, domi fenore trucidabantur. Neque enim satis habebant creditores, a debitoribus operas seruiles exigere: sed omne præ-

a) DIOG. LAERT. L. I. c. VIII. n. III. p. 108. edit. Longol. BRUCKER. *bistor. crit. philos.* Tom. I. p. 358.

b) BRUCKER. l. c. p. 360.

c) in *Atticis*, p. m. 14.

d) var. *bist.* L. VIII. c. XVI.

e) in Aristogit. orat. II.

f) in SOLONE L. I. c. II. n. XV. p. 62. cf. BRUCKERI *otium Vindelic.* p. 259.

g) PLIN. H. N. L. XXXIII. c. III.

h) in **SOLONE**.

præter ea genus crudelitatis in illos expromtuim est. Quæ res multarum seditionum causa fuit. Fremebant enim nexi ob æ alienum, se foris pro libertate et imperio dimicantes domi a ciuibus captos et oppressos esse, tutioremque in bello, quam in pace, inter hostes, quam inter ciues libertatem plebis esse. Exempla suppeditant LIVIVS ET DIONYSIVS. Verba LIVII i) sunt: *Magno natu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit. Obsita erat squalore vestis, faidior corporis habitus, pallore ac macie perempti. Ad hoc promissa barba et capilli efferauerant speciem oris.* Noscitabatur tamen in tanta deformitate, et ordines duxisse aiebant, aliaque militia decora vulgo, miserantes eum, iactabant. Ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum, cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus, unde ille habitus, unde deformitas, quum circumfusa turba esset prope in concionis modum: *Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, et alienum fecisse: id cumulatum usuris, primo se agro paterno aucto que exuisse, deinde fortunis alii: postremo velut tabem peruenisse ad corpus. Ductum se ab creditore, non in seruitium, sed in ergastulum et sacrificinam esse.* Inde ostentare tergum fidem recentibus vestigiis verberum. Eamdem rem eodem modo narrat DIONYSIVS k), et alio exemplo confirmat l).

SICINIVM enim suo et ciuium suorum nomine sic loquentem inducit: *Tὰ μὲν ὁ πόλεμοι δέ φειζαν, τὰ δὲ η̄ τῶν καθ' ἡμέραν σπάνις ἀναγκαῖων ἐξανάλωσεν, τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ὑπερφάνων δαινεῖσῶν τέτων ἀφρέθημεν. οἵ τε λευτῶντες ἀναγκαῖομεθατὺς ἔσυτῶν κλήρους οἱ δεῖλαιοι γεωργεῖν, σκάπτοντες, φυτεύοντες, ἀρουντες, ποίμνια νέμοντες, ὄμοδολοι τοῖς ἔσυτῶν δορικτήτοις ἀνδραπόδοις ὄντες, οἱ μὲν ἀλύτες δεθεῖτες, οἱ δὲ πέδαις, οἱ δὲ ὥσπερ τὰ χαλεπώτατα τῶν Θηρίων, κλοιοῖς καὶ μύδροις. αἰκίας δὲ δὴ καὶ προπηλακισμοὺς, καὶ μάτιγρας, καὶ πόνους ἐν νυκτος ἐις νύκτα, καὶ πᾶσαν ἀλλην ἀνάγυης ὠμότητα, καὶ ὅβριν καὶ ὑπερφάνιαν, η̄ ἐπεμέναμεν, ἐα.*

§. III.

In his malis plebi quidem aliquando spes facta: sed dum promissa fidemque exspectabat; quam asperime potuit, ius de creditis pecuniis dictum: debitores addicti nexique. Sed ea res in seditionem erupit, et plebes SICINIO auctore in sacrum montem secessit. Agi deinde de concordia cœptum, consumque in conditiones: vbi mirum est, quum hæc seditio propter nexos cœperit, LIVIVM ne vnum quidem verbum de nexis fecisse. Videbatur plebs respissasse; videbatur aduersus creditorum fœnitiam satis armata imperato sui ordinis magistratu: sed videbatur tantum. Inuenimus enim non longo inter-

:) (2

iecto

i) Lib. II. c. XXIII.

k) DIONYS. Halicarn. Antiquit. rom. L. VI. p. 361sq.

l) I. c. p. 402.

ieclio tempore legem duodecim tabularum: quæ quam miseranda debitorum ea tempestate conditio fuerit, perspicue tradit. Legem nobis conseruauit A. GEL-LIVS m), verba antiqua FVNCCIVS n). En ipsam legem iunctam interpretationi.

§.

AIRIS. CONFESSEL. REBOSQUE. IOV
RED. IOVDICATEIS. XXX. DIES. IOVS
TEI. SVNTOD.

POSTIDEA. MANVIS. ENDO. IA
CTIOD. ESTOD. ENDO. IOVS. DVCITOD.

NEI. IOVDICATOM. FACSIAT. AVT.
QVIPS. ENDO. EO. IM. IOVRED. VINDICIT.
SECOM. DVCITOD. VINCITOD. AVT.
NERVOD. AVT. COMPEDIBVS. XV. PON
DO. NEI. MAIOSED. AT. SEI. VOLET.
MINOSED. VINCITOD.

SEI. VOLET. SOVO. VIVITOD. NEI.
SOVO. VIVIT. QVEI. EM. VINCTOM.
HABEBIT. LIBRAS. FARIS. ENDO. DIES.
DATOD. SEI. VOLET. PLOVS. DATOD.

Endoteratim paciod.estod.nei.com.
eo. pacit. LX. dies. vinctom. habetod.
endo. oloes. diebos. tertieis. nondineis.
continueis. endo. comeitiom. endo.
ioured. im. procitatod. airisque. aisti-
miam. ioudicati. predicator.

Postidea. de. capited. ad. cliei. poinas.
sumitod. aut. sei. volet. vls. Tiberim.
peregre. venom. datod.

Ast. sei. plousebos. adictos. siet.
TERTIEIS. NONDINEIS. PARTIS. SE
CANTOD. SEI. PLOVS. MINVS. VE. SE
CVERONT. SED. FRAVDED. ESTOD.

Habes hic B. L. debitorem accusatum, in ius duclum, addictum, habes in car-
ceres et vincula coniectum, habes denique capite damnatum, et aut dilacera-
tum aut venditum.

§. VI.

De prioribus legis decemuiralis partibus nihil ambigitur: postrema au-
tem, quæ de seclione agit, eruditos in diuersas traxit sententias. Alii enim ver-
ba

m) Noſt. Attic. L. XX. c. I.

n) in Commentario de pueritia latīna lingua p. m. 89. 90.

V.

Si debitum quis confessus, vel conde-
mnatus iure fuerit: triginta dierum in-
ducia illi ad soluendum dantur.

Postea manus inieclio esto, in ius du-
cito.

Nisi iudicatum soluit, vel eum aliquis
in iure defendit, secum ducito, vincito,
aut neruo, aut compedibus, tamen quin-
decim libris non maioribus, si volet, mi-
noribus vincito.

Si volet, suo viuuto, nisi suo viuit, ille,
qui cum vinculum habebit, libram farris
in singulos dies dato, si volet, plus dato.

Interim patclio esto: nisi cum eo pa-
clus fuerit, LX dies vinculum habeto: in-
tra illos dies trinis nundinis continuis in
comitium ad iudicem productor, erisque
summa iudicati prædicator.

Postea de capite addicti penas sumito,
aut si volet creditor, cum ultra Tiberim
peregre venum dato.

At si pluribus addictus sit, tertiiis nun-
dinis partes secanto: si plus minusue se-
cuerint, sine fraude esto.

ba ista proprio et nativo significatu, alii improprie et μεταφορώς accipi volunt. Neutri parti desunt fautores. Inter eos, qui debitorem tertius nundinis ex lege decemuirali capite poenas dedisse putant, ex veteribus primo mihi nominandus est **FABIVS QVINCTILIANVS** o), qui, sunt quædam non laudabilia natura, inquit, sed iure concessa, ut in XII tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit: quam legem mos publicus repudiavit. Deinde apud doctissimum noctium Atticarum scriptorem **CAECILIVS**, iureconsultus, et **FAVORINVIS**, philosophus, verba legis manifeste de sectione et partitione corporis humani interpretantur p), addita simili legislatione. Namque ibi **CAECILIVS**, eam capit's paenam, inquit, sanciendo fidei gratia horrificam atrocitatis ostendit, nouisque terroribus metuendam reddiderunt. - - - eo consilio tanta immanitas paenæ denuntiata est, ne ad eam umquam perueniretur - - - . An putas, Fauorine, si non illa etiam ex XII tabulis de testimonio falsis pena aboleuissest; et si nunc quoque, ut antea, quis falsum testimonium dixisse conuictus esset, e saxo Tarpeo deiiceretur: mentituros fuisse pro testimonio tam multos, quam videmus? Acerbitas plerumque vlciscendi maleficii bene atque caute viuendi disciplina est. Historia de Metto Sufetio - - - ignota non est. Denique suffragatur **TERULLIANVS** q), et ex recentioribus **CVIACIVS**, **SIGONIVS**, **MABILLONIVS**, **EZECH. SPANHEMIUS**, et aliis complures.

§. VII.

Altera sententia, qua debitoris in partes seccio, vel per partitionem operum, vel per auctionem bonorum publicam, vel ipsiusmet debitoris venditionem explicatur, veterum quidem auctoritatibus destituitur: at habet tamen patronos viros omnis eruditio principes; quos ordine producit **IOANNES FRID. IVGLER**, in dissertatione de sectione debitorum apud romanos r). Evidem ego id mihi non sumo, ut tantorum virorum item componere audeam: impetrare tamen a me non possum, ut credam, nec **FABIVM**, nec **GELLIVM** sensum legis decemuiralis esse adsecutos; ut argumentationes omittam fortissimas, quibus dissertatione laudata omnem animo eximit dubitationem.

§. VIII.

Et si postremum legis caput tacito consensu obliteratum est: tamen ceteræ sanctiones tantum abest, ut desierint, ut in dies incrementa ceperit plebis miseræ calamitas. Quod enim asperitatis, quod iniuriæ et ignominiae, quod fœvitiae genus a creditoribus in debitores omissum est? Immo quanto magis prosperis bellis tranquilla omnia foris erant; tanto in vrbe vis patrum in dies miseriaeque plebis crescebant; quum eo ipso, quod necesse erat solui, facultas

: (3)

fol-

o) *institut. orat. L. III. c. VI. n. 8.*

p) *GELL. N. A. I. c.*

q) *in Apol. c. IIII. §. 3.*

r) *c. II. §. II. p. 15* sqq.

soluendi impediretur. Itaque quum iam ex re nihil dari posset: fama et corpore iudicati atque addicti creditoribus satis faciebant, pœnaque in vicem fidei cesserat s). Adhuc igitur fatigandi erant patres interrogando: an placaret, senore circumuentam plebem potius, quam forte creditum soluat, corpus in neruum ac supplicia dare: et gregatim quotidie de foro addictos duci, et repleri vincis nobiles domos? et vbi cumque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse t)?

§. VIII.

Igitur flagitare plebs aliquid laxamenti: quod etiam promissum; quum hostes prope ad portas essent. Edixit enim SERVILIUS COS. ne quis ciuem rotuman vincum aut clausum teneret, quo minus ei nominis edendi apud consules potestas fieret. Ne quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet: liberos nepotes eius moraretur u). Plebs delusa est. Iterum fides data post secessionem: id quod ab LIVIO prætermissum DIONYSIUS commemorat x). Ita enim senatus nomine MENENIVS AGRIPPA: Εύρόντες τὰς ἀποτάμους τῶν δανείων ἀναπράξεις τῶν παρόντων κακῶν αἰτίας γεγονότας, ἔτως αὐτὰς διαρρέουσεθα. Τοὺς ὄφειλοντας χρέα καὶ μὴ δυναμένους διαλύσασθαι, πάντας αφεῖδαι τῶν ὄφειλημάτων δικαιοῦμεν. Καὶ εἴ τινας ἥδη τὰ σώματα ὑπερημέρων ὄντων τὰς νομίμους προθεσμίας πατέχεται, καὶ ταῦτα ἐλευθερα ἔιναι κείμονεν. οὓς δὲ δίκαιοι ἀλόντες, ίδια παρεδόθησαν τοῖς καταδικασθαμένοις, καὶ τούτους ἐλευθέρους ἔιραν βουλόμεθα, καὶ τὰς καταγνώστες αὐτῶν ἀκύρους ποιοῦμεν. Iterum decepta plebes est. Post c. LICINIUS et L. SEXTIUS, tribuni plebis, promulgauere leges aduersus opes patriciorum et pro commodiis plebis; vnam de ære alieno, vt deducto eo de capite, quod usris pernuperatum esset, id, quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorum, cet. y). Et hæc frustra fuerunt. Primum tamen fuit consulatus cum plebe communicatus. Quadraginta post annis, aut non multo amplius cum plebe romana magis serio aëlum, et velut aliud initium libertatis factum est: quod ligari nisi desierunt. Mutatum autem ius ob viñus feneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. Viñum, LIVIVS ait z), eo die ob impotentem iniuriam ingens vinculum fidei: iussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruiset, donec pœnam tueret, in compedibus, aut in neruo teneretur: pecuniae credite, bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita uexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur. En στοσαχθειαν flagitatem, promissam, interceptam, lege confirmatam!

§. X.

s) LIV. L. VI. c. XXXIII.

t) LIV. I. c. c. XXXVI.

u) LIV. L. II. c. XXXIII.

x) Antiquit. rom. L. VI. p. 405.

y) LIV. L. VI. c. XXXV.

z) L. VIII. c. XXVIII.

§. X.

His initii ad plenissimam *σεισαχθείη*, h. e. ad *nouas tabulas* ventum est. *Tabulae* vocantur, ut omne genus instrumenti, in quo aliquid scribitur: speciatim vero codices expensorum et acceptorum, scriptura mensæ, item chirographa et syngraphæ hoc nomine intelliguntur. Hæ tabulæ debiti et crediti *nouæ* dicuntur: quia nomina auctoritate publica in iis mutantur, sic, ut aut plane delean-
tur, et debitoribus crediteores omne debitum condonent; aut ut pars aliqua de
summa resecetur: cuius facti exemplum apud *SALLVSTIVM* occurrit aa), in
hanc sententiam: *Sepe maiores vestrum miseriti plebis romanae decretis suis inopie opitulati sunt: ac nouissime memoria nostra, propter magnitudinem eis alieni, volentibus omnibus bonis, ARGENTVM AERE SOLVTVM est.*
Quem locum optime interpretatur *GRONOVIVS bb)*, adducto loco *VELLEIT*
ex I. II. c. XXIII. In huius locum *suffectus VALERIVS FLACCVS*, turpissimæ
legis auctor, qua creditoribus quadraventem solui iusserat. Itaque *ARGEN-*
TVM (sestertius non minus quam denarius erat argenteus) *AERE* (as quippe
erat ærea moneta) sive pro omni debito *QVADRANS* solutus est: ita ut pro
festertio assem, pro denario festertium, pro mille nummis ducentos quinquaginta,
denique pro omni debito quartam partem (e. g. XXV pro C) soluerent, ac tres
omnino creditori perirent. Quod quum erat publice iussum, omnes omnium ta-
bulæ mutandæ et aliter scribendæ erant. Forsitan etiam *CAESARIS tabulas no-*
vas *huc referas*, de quibus *PLVTARCHVS* scribit cc): *καὶ σεισαχθείη τὴν*
ἐπούφιζε τοὺς χρεωφειλέτας. Sed de *CAESARE* post videro.

§. XI.

Tabulas nouas plane a prioribus diuersas, et ad abolenda debita omnia spectantes *CATILINA* suis promiserat. Quum enim postularent plerique, vt proponeret, quæ conditio belli foret, quæ præmia armis repeterent, quid vbique opis aut spei haberent: tum *CATILINA* polliceri *tabulas nouas*, proscriptionem lo-
cupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum atque Lubido
victorum fert dd). Scilicet *CATILINA*, qui videret, magnum in ciuitate as
alienum esse, pollicebatur, se publice incensurum omnes argentariorum tabulas,
ita, ut nemo, quod æris alieni antea contraxisset, persoluere cogeretur. Verum
enim vero *tabulis CATILINAE nouis* alias tabulas opposuit *CICERO*, nimirum
auctionariae: idque reipublicæ saluti fuisse, vehementer iactat ee). Quod
ad *CAESAREM* attinet, dubitari potest, an *vmquam tabulas nouas* proposue-
rit. Ita enim *SVETONIVS ff)*: de pecuniis mutuis, disiecta nouarum tabu-
larum

aa) in *CATIL.* XXXIII.bb) apud *CORTIVM* h. I. p. 204.cc) in *CAESARE*.dd) *SALLVST.* in *CATIL.* c. XXLee) Vid. *CIC. orat. CATIL.* II. c. VIII. coll. *CAT.* I. c. VI. et *Offic.* L. II. c. XXIII.ff) in *IVL. CAES.* c. XXXXII.

VIII

*AK
The
1303*

larum exspectatione, quæ crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per estimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summa æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut prescriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. At si CICERO NEM audiamus gg), tabularum nouarum suspicionem haud effugiat CAESAR. Dicendum igitur, aut tabulas, quarum §. præced. mentionem fecimus, hic intelligendas esse, aut largitiones illas effusas, quibus maximam gentilissimorum hominum multitudinem patuit, rapinisque publicis aluit, isto nomine significari. Molitum vero χρεῶν ἀποκοπας, aperte indicat TULLIUS hh).

§. XII.

Bono sane et laudabili instituto subsecuti principes debita ærarii ciuibus suis condonarunt. Sic AVGVSTVM CAESAREM tabulas veterum ærarii debitorum exussisse, testatur TRANQVILLVS ii). Sic HADRIANVS ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro diu TRAIANI incensis kk). Sic AVRELIANVS tabulas publicas ad priuatorum securitatem exuri in foro TRAIANI semel iussit ll). Sic GRATIANVS argumenta omnia flagitandi publicius ardore iussit. Videre in suis quæque foris omnes ciuitates conflagrationem salubris incendi. Ardebat stirpes fraudum veterum, ardebat seminaria futurarum mm).

Sed manum de tabula. Ad tirones enim nostros declamaturos veniendum, iisque auditores ex more conciliandos esse intelligo. Dicent autem hoc ordine:

CHRISTIANVS WILHELMVS ROTTH, Hallensis,
de lingua græca dignitate et præstantia, latine,
WILHELM. AVG. TRAVGOTT ROTHE, Erfordiensis,
de caussis contemta lingua græca, germanice,
GOTTHILF LEBERECHT GEORGII, Hallensis,
de laudibus Homeri, versibus germanicis.

Vt igitur gymnasii nostri PATRONI, SCHOLARCHÆ, aliisque viri litterati et amici crastina die hor. II. a meridie in auditorio primæ classis frequentes conuenire, animisque pariter et linguis oratoribus nostris fauene dedigentur, id quidem est, quod maiorem in modum rogamus.

gg) Offic. L. II. c. XXIII.

hh) ad ATTIC. L. VII. ep. XI.

ii) in AVG. c. XXXII.

kk) SPARTIAN. in HADR. p. m. 139.

ll) FLAV. VOPISC. in AVREL.

mm) AVSON. in panegyr. GRATIAN. c. XXXIII. XXXIII.

P. P. A. D. III. Idib. Ianuar. c. 10 CCXXXVIII.

ULB Halle
001 582 135

3



VD18

II C
1303

AD
ORATIONES
TRES
D. XI. IAN.

CCICCIIC
IN

GYMNASIO HALLENSI

A V D I E N D A S

PATRONOS, SCHOLARCHAS

AC

LITTERATOS OMNIVM ORDINVM

V I R O S

INVITAT

DE

ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑΙ ROMANORVM

PRAEFATVS

IOANNES MICHAEL GASSER

GYMNASII HALL. RECTOR.

HALLAE SALICAE

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI

